

67. Exemplo esse potest Iudas Ischariotes, cujus ministerio, licet ipse furti & proditionis esset reus; uti tamen fas fuit.

68. Exemplo esse potest superiorum seculorum Ecclesia sub Papatu, ubi sacrificulorum Missaticorum ministeriū in administratione Baptismi non fuit inefficax, ac proinde eo uti licuit, propterea quod Sacramenti hujus Essentialia, quantumvis alioqui humanis scorijs conspurcata, integra ac incorrupta permanserunt.

69. Hodie verò luce Evangelij in integram restituta, pio cuivis exeundum est ē Babylone, neque utendum Pontificiorum Baptismo (excepto casu necessitatis inevitabilis) nisi quis hac ipsa nota sive tessera testaturum facere velit, se cum meretrice illa Babylonica fornicari.

70. Quoad usum S. Cœnæ Dominice, ne in ipso quidem papatu superioribus seculis fas fuerat pijs mentibus ea uti: siquidem constat, tam non sacrificulos illos Missaticos, Sacramenti hujus Essentialia sartatecta reliquisse, ut potius alteram substantialem ejus partem ex eo, ausu plusquam sacrilego fuerint suffurati.

71. Multò certè minùs hodie apud illos eodem Sacramento uti fas est, nisi quis non modò Idolomania Romanensium socium; sed & horrendi & detestandi hujus sacrilegij participem sese redde-